PLATO. ARISTOTELES
Entstehungsort unbestimmt (Tirol?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 175r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



animam Etenim si michi annueritis animam putantes immortalem bona et mala omnia potentem tollerare celestem viam sep imitabimur Justitiam cum prudentia continuo exercentes ut nobis ipsis dum hic vivimus amici simus atque dyis demum cum premia adepti erimus ut victoriosi triumphantes et hic et in millenario itinere ut prius diximus fideliter agamus

Platonis Atheniensis philosophi illustrissimi celestis politie liber decimus et ultimus explicit feliciter

Illustrissimi et literatissimi principis domini Humfredi ducis Clocestrensis ad P. Candidum supmissione librorum politie platonis epistola commendatoria

Expectatissimas literas tuas accepimus una cum platonis libris Candide lepidissime Quorum quidem adventus a deo carissimus nobis ac gratissimus fuit ut nulla potuissemus affici maiori voluptate presertim cum id verissimum sit quod scribis eos maxime dignitatem nostram et decus aspicere ex quo tibi maximas habemus gratias habebimusque quoad vitam tuebimur quod tantum tamque arduum ac excellentissimum opus nostra causa ac nomine elaboraveris Unde certum est et nos tua hac opera ac studio et te etiam non mediocrem laudem et gloriam reportaturum Sunt enim eiusmodi ut et invitum ad legendum excitarent Tanta est platonis in primis gravitas et elegantia tum etiam orationis tue adeo aptissima interpretatio ut non possimus recte dicere cui potissimum magis debeamus an sibi quod princeps huius discipline extiterit an tibi quod sepultam eam ac pene extinctam negligentia nostra excitari et in lucem efferri pro virili parte studueris Egregiam quidem ac prestantissimam tibi provinciam delegisti et que certe nullam umquam potuit etate consumi neque ulla oblivione deleri Si modo ea vera sunt que a sapientissimis viris traduntur immortalem scilicet